



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

De Nobilitate Et Indvstria Eivsdem Fvndatoris. Capvt I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

preciosæ nitorem ad aspectum mentis  
humanæ proferamus: & non solum ad  
illuminationem, sed & exemplum Deo  
militantium, qui in domo Dei ambulant,  
cum ardore flagent, lucernam super cā-  
delabrum collocemus.

DE NOBILITATE ET IN-  
DVSTRIA EIVSDEM FVN-  
datoris.

CAPVT I.

**R**Ege PRZEMISS, qui & OTTO CA-  
RVS cognominatus fuit, Regnum  
Bohemiæ feliciter gubernante, inter alios  
regni magnates Hroznata de Principum  
claro genere oriundus in aula regis pri-  
mum locum post regalem magnificen-  
tiam obtinebat. Qui generis præroga-  
tiam, virtutum & morum honestate  
perornans, consilio & naturæ genero-  
sitate præstantior, magno ab omnibus  
colebatur affectu.

Sed & rerum affluentia & literarū sci-  
entia præditus, prouida largitate egentium

ino-

inopiam, suis facultatibus subleuabat. Erat enim pius mœrentium consolator, orphanorum pater, laborantium sustentator, & sub Chlamyde militari, propositum religionis abscondens; Deo quæ Dei, deuotionis studio Regi, quæ Regis, fide, & obsequio, & vnicuique, quæ sua sunt, ordinata claritate reddebat.

## DE CONIVGIO.

### CAPVT II.

**H**ic à primæua ætate in timore pariter, & amore, Deo inserviens, tandem annos attigit iuuentutis, & accepit uxorem nobilibus exortam natalibus, cum qua spe prolis procreandæ, aliquot annis permansit, & postea Deo propitio filium elegantis formæ de coniuge suscepit. Sicque optato potitus desiderio, sperabat possessionum suarum se adeptum hæredem. Sed non sic Christus præordinauerat, qui Hroznatæ solus hæres esse volebat, quod & factum est, prout in sequentibus plenè patebit; Nam puer ille breui tempore defunctus est, mater verò cui idem iunctus erat filius, vnigeniti sui orbata solatio, deflens & eiulans mortem nati, & ipsa in pace Christi quieuit.

DE